



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Lvem Contagiosam Aliosque Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Cap. VI. Non semper ob peccata morbi & pestilentiae à Deo immittuntur,  
sed alijs saepe de causis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

dem malorum operum recipientes. Deficiet me dies & calamus si continuo filo per quæque sæcula hanc telam texere progrediar. quare consultò eam hic incidone Lectori meo fastidium generem: humanus enim animus instar oculi si diutiùs eidem obiecto inhæreat, lassatur, caligat & hebescit. Ad nostratia itaq; & quæ omnes vel vidimus vel certis nuntijs superioribus hisce annis audimus, festinarem: sed quia cunctis obuia & plusquam notissima, ad seipsum Lectorem remitto. Nouerit interim virgam illam diuinæ iustitiæ quam vidit Propheta in huiusmodi sacrilegos persecutores vigilare.

## CAP. VI.

*Non semper ob peccata morbi & pestilentia à Deo immittuntur, sed alijs sepè de causis.*

**E**Rror amicorum Iob hic fuit, omnem calamitosam tribulationem, adeoque morbos & pestilentiam, cuius species erat foedissima illa lepra qua sanctus Propheta à capite vsque ad calcem percussus fuit, propter peccata tribulatorū à Deo immitti, quod & ipsi ob sua delicta contigisse exprobrabant. idè calumniosè ad eum Eliphaz Themanites: *Recordare, obsecro te, quis unquam innocens perijt, aut quando recti delati sunt? Quin potius* <sup>cap. 4.</sup> *vidi eos qui operantur iniquitatem & seminant dolores & metunt eos, flante Deo perijisse & spiritu ire eius esse consumptos. Sed errasse malè fundatos homines Spiritus sanctus apertè testatur dum de cæcitate Tobia Deum timentis ita loquitur: Hanc autem tentationem idè permisit Dominus eue-*

G

nire



nire illi ut posteris daretur exemplum patientiae eius sicut & sancti Iob. Ergo & Iob ulcere pessimo, & Tobias caecitate miserabili, alijque innumeri viri sanctissimi varijs morbis & nominatim peste, ut beatus Macarius, Ludovicus, Guido, de quibus postea, afflicti fuerunt, non suo delicto, sed ut sic simul & eorum illustris in sufferendo patientia probaretur & innotesceret, & Diuinæ gratiæ virtus in adiuuando clariùs reluceret; *nam virtus in infirmitate perficitur*; quo enim maior est infirmitas, eò maior à Deo fortitudo suggeritur; nimirum: Crescit aduersis agitata virtus; adeoque constans in infirmitate patientia robustior fit, quia tribulationi, quandoquidem homini sit molesta, resisti non potest, utpote naturali propensione contrariæ, nisi per contrarios actus eosque fortes & intensos, quos dum elicit tentatus, per eos magis habitum eius corroborat & intendit. Anima morbo affecta, ait Nazianz. Deo propinqua est: *Gloriamur in tribulationibus*. gloriando dicit Apostolus Paulus, *Scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem que non confundit*. Probat nos igitur Deus per huiusmodi flagella ut videat vtrum constanter eum amemus nec ne. vtrum scilicet ex ijs non simus de quibus Propheta: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei.* & Sapiens: *Donec accipiunt munera, osculantur manum dantis.* an verò de numero illorum quos idem ipse Propheta in propria persona repræsentat: *Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo.* Quò alludens illustris senex in vitis Patrum, discipulo suo infirmo hæc inculcabat: *Non contristeris fili ex infirmitate vel plaga corporis tui. Summa enim religio est ut in infirmitate quis agat Deo gratias. Si ferrum es, per ignem æruginem amittis: si verò aurum es, per ignem probatus à magnis ad maiora.*

2. Cor. 12

Orac. ad  
ciues Na-  
zianzen.

Roman. 5

1.3. n. 157

iora.



*iora procedis. Ne anxieris igitur frater; si enim Deus te vult in corpore torqueri, tu qui sis qui molestè feras? Sustine ergo & roga Deum ut quæ ipse vult, illa concedat.* Aureum certè

commonitorium, quod vtinam omnes in infirmitatibus suis sibi applicent ne facies eorum fiant sicut nigredo ollæ, quæ igni admota natium colorem deperdit & tota nigrescit; ita illi in igne infirmitatis per impatientiam & blasphemiam atri & fœdi reddantur.

Rogabat sancta Brigitta Deum pro Algotio Dominicano Doctore Theologo, vt eum ab oculorum orbitate & calculi doloribus dignaretur liberare. Responsum accepit: Ille stella micans est nec expedit sanitate corporis

obscurari animam eius. Apostolorum Princeps & caput Ecclesiæ Petrus rogatus vt Petronillam (incertum au naturalem an verò tantum spiritualiter in Christo renatam) filiam suam à febre curaret, respondit eam febrem animæ eius expedire magis quàm sanitatem:

quamquam vt suam gratiam curationum quam à Christo acceperat, ostenderet, eam mox liberauerit; quæ tamen postea eam denuò corripere permisit. Ita beatus Timotheus sancti Pauli carissimus discipulus, frequenter passus est infirmitates, non pro peccatis, sed ad probationem patientiæ. cuius eximium sanè specimen orbe toto decantandum ante ducentos pænè annos dedit hic in Belgio beata Lydwigis (vulgariter & quàm aptissimè, Lydtwijt nominata) virgo Schiedamniensis quæ

triginta octo annis continuis, admirandis diuersarum ægritudinum cruciatibus fuit afflicta, omnesque patientissimè semper perpeffa: Scilicet *Tentat vos Dominus vt videat vtrum diligatis eum ac non. vram eos sicut vritur argentum, & probabo eos sicut probatur aurum.* Hinc Iob: *Probauit me quasi aurum quod per ignem transit.* & Propheta regius:

*Probabo te sicut probatur aurum.* Hinc Iob: *Probauit me quasi aurum quod per ignem transit.* & Propheta regius:

*Probabo te sicut probatur aurum.* Hinc Iob: *Probauit me quasi aurum quod per ignem transit.* & Propheta regius:

*Probabo te sicut probatur aurum.* Hinc Iob: *Probauit me quasi aurum quod per ignem transit.* & Propheta regius:

*Probabo te sicut probatur aurum.* Hinc Iob: *Probauit me quasi aurum quod per ignem transit.* & Propheta regius:

*Probabo te sicut probatur aurum.* Hinc Iob: *Probauit me quasi aurum quod per ignem transit.* & Propheta regius:

Nahum 2.

Surius to.

Vide Bar. tom. 1.

Thomas à Kemp. &amp; Ioan. Brugm. Zach. 13. Iob c. 23.



Psal. 26.

c. 27.

*Probasti cor meum & visitaſti nocte: igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas. & Eccleſ. Vafa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis. Quod ergo ignis eſt auro, lima ferro, ventilabrum tritico, lixiuium panno, ſal carni, hoc viris iuſtis eſt tribulatio, morbus & infirmitas, adeoque peſtis infirmitatum grauiſſima. Videtur cauterium eſſe vulnus, ſed re vera remedium vulneris eſt. ita morbus malum eſſe videtur, ſed re vera malorum eſt remedium, atque per eum docemur amare meliora, ne viator tendens ad patriam, ſtabulum pro domo diligat, inquit Auguſt. Morbus enim (Baſilij verba ſunt) paupertas, ignobilitas, mors, cæteraque id genus quæ hominibus ſunt triſtia, non propriè malis annumeranda veniunt, propterea quòd neque ea quæ iſtis aduerſantur inter maxima bona numeramus; quæ quidem partim à natura prodeunt, partim verò multis etiam vtiliter accidiffe videntur. Pulchrè itaque ſanct. Auguſtin. Pulmone deficiſ? cibum ſtomachus reſpuit? phthiſi decoqueris? vinum ſtaſtidis? dyſenteria fauciaris? multimodo morborum genere afficeris? ſed & hæc ſi oculus habes, ſi cordatus es, Dei tota ſunt. Diſciplinam patris ne abijcias fili. Neque minùs eleganter beatus Antiochus: Sicut cera niſi recaleſcat aut præmolliatur non facilè in ſe recipit ſigilli impreſſionem: ita & homo niſi laborum & multuariæ infirmitatis probetur exercitio, neutiquam ſinet inſigniri ſe ſignaculo Diuinæ gratiæ.*

In ſent.  
ſent. 186.Homil. 2.  
examer.Lib. Devi-  
ſt. infirm.  
c. 5.

Homil. 78

Ioan. 9.

*Quod ad gloriam Dei attinet ob quam ſæpè infirmitates & mortem ipſam Deus immittit; exemplum habemus in adolescente illo Euangelico à natiuitate cæco & à Chriſto illuminato. eum enim diſcipuli cæcitatem eius, peccatis tribuerent, reſpondit Chriſtus: Neque hic peccauit, neque parentes eius; intellige non abſolutè quaſi num-*



numquam peccassent parentes eius, sed nullum peccatum fuisse causam cæcus ut hic nasceretur: verum ideo natum cæcum ut manifestentur opera Dei in illo. quasi dicat; Non alia de causa hic cæcus natus est quam ut miraculosè per me curaretur, eaque re diuina virtus in eo curando reluceret. de quo ita Gregorius: Alia est percussio qua peccator percutitur ut sine retractione puniatur: alia qua peccator percutitur ut corrigatur: alia qua quisquam percutitur non ut præterita corrigat, sed ne ventura committat: alia per quam nec præterita culpa corrigitur, nec futura prohibetur, sed dum inopinata salus percussione sequitur, saluantis virtus cognita ardentius ametur. ita ille; quamuis Græci Patres moneant dictionem, ut, non hinc causam sed euentum & consequentiam significare. non enim volunt eum cæcum natum ut opera Dei in illo manifestarentur: sed ita consecutum ut cum cæcus natus esset, occasionem præberet diuinæ in se virtutis declarandæ. at prior Latinorum opinio communior & secundum textum germanior est. Et potest simili aut etiam maiori miraculo confirmari certius. Auditâ siquidem Saluator noster infirmitate Lazari, consolatoriè Apostolis respondit: *Infirmitas hæc non est ad mortem* (duraturam scilicet, quia statim veluti à somno resuscitandum eum videbat) *sed pro gloria Dei ut glorificetur Filius Dei per eam.* vbi August. Talis glorificatio ipsius non ipsum auxit, sed nobis profuit. hoc est ergo quod ait, *non est ad mortem*, quia & ipsa mors non erat ad mortem, sed potiùs ad miraculum, quo facto crederent homines in Christum & vitarent veram mortem. ita ille. quo ex loco Scripturæ diuinitas Christi efficaciter adstruitur; nam aut seipsum Deum appellat cum dicit, *sed pro gloria Dei*, quòd statim explicans addit, *ut glorificetur Filius Dei per eam*; quasi dicat, pro gloria

r. Moral.  
capit. 6.



Dei, id est, mea, inquit Augustinus : aut certè suam Patrisque sui gloriam eandem esse dicit.

Denique ut concludamus hoc caput, morbos quosdam esse veluti præseruatiuas medicinas contra venena peccatorum, probat sanctus Hieronymus, Cyrillus & Theodoretus exemplum Ezechiaë regis quem ad mortem vsque ægrotasse scribit, ne insolesceret de tanta victoria contra Sennacherib regem Assyriorum (cui 185. millia nocte vnâ peste velocissimâ per Angelum adempta fuere) nondum quidem obtenta sed obtinenda utpote promissa à Deo, cap. 37. vbi de eodem Sennacherib nuntiauerat ei per Isaiam Prophetam : *Non intrabit ciuitatem hanc & non iaciet ibi sagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem.* Præseruare itaque hoc immisso morbo à tumore animi regem conabatur Deus. nam morbus etiam potentissimos reges sæpè domat & humiliat. qua de re pulcherrimum audi ænigma Diphili de tribus fortissimis, ferro, fabro, & febre :

Primò. Quod pereant & discindantur quæuis.

Secundò. Fabro tamen plus inesse roboris.

Tertiò. Febrim denique & hunc domare.

Sicuti ergò tres iuuenes Hebræorum apud Darium differuerunt quid esset fortissimum ? atque primus dixit, Forte est vinum. Secundus, Fortis est rex. Tertius scilicet Zorobabel, Fortiores sunt mulieres ; super omnia autem **VINCIT VERITAS.** ita & hic dicamus ; Forte est ferrum, durum & indomabile, sed fortior est faber qui illud cudit & domat, sed fortissima est febris quæ fabrum omnesque homines & reges domat & perimit ; ideoque eos licet superbos flere & obsecrare cogit. *Fleuit enim Ezechias fletu magno,* ait Scripturâ. verùm quamuis Deus hoc morbo præseruare regem studuerit, non rectè

4. Reg.  
c. 19.

Corn. à  
Lap. in  
c. 38. Isa.

1. 3. Efd.  
c. 3.

Isa. c. 38.



rectè tamen præseruatiua vsus est, contigitque illi secundùm vulgare istud :

*Demon languebat, monachus tunc esse volebat :*

*Postquam conualuit mansit vt antè fuit.*

Intumuit enim Ezechias à morbo curatus, & vana ostentatione inflauit seipsum coram Legatis Merodach regis Babylonis qui gratulandæ causa recuperatæ sanitatis ad eum missi fuerant. Lætatus est autem Ezechias super eis, & ostendit eis vniuersa quæ inuenta sunt in thesauris eius & in omni potestate sua. ideoque ab Isaia postmodum corripitur auditque omnes suas opes diripiendas esse à Babylonijs, & filios eius fore regis Eunuchos. quod durum decretum æquanimiter à Domino accipit, oraturque vt saltem in diebus suis fiat pax & veritas. Isa. 39.

## C A P. VII.

*Quenam contra pestem spiritualia sunt remedia.*

**H**Actenus morborum & pestis causas pluribus indagauimus : nunc quæ sint antidota & remedia, propius perscrutemur. Et quidem generalis illa imprimis maxima est, communi Catholicorum consensu approbata, quam & Christus ipse in superioribus nos docuit, pestem & morbos qui ob peccata immittuntur, non nisi per emendationem vitæ, quæ fit peccata detestando neque eadem denuò repetendo, cessaturos, aut ab ijs nos liberandos fore. ita enim sublatâ causâ facillimè tolletur effectus. nam in flagellis positos digna flagellis committere, contra ferientem est specialiter superbire & sæuientis acrius iracundiam irritare.

Vis.